



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Serapia V. M. 3. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

tuo? nunc anima mea! esto tui iudex & tortor: nunc patere corpus, nam *in quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus (crede) parceret.* Tertull.

2. Si quando Sermo fit de aliis æquiores te illis præbeas, eorum de rebus loquere perinde ac si tuæ essent. Si te audiamus, quidquid agis, est perfectissimum, imperfectum verò, quidquid agunt alii parum æquitatis & multum superbiæ est in hoc iudicio. Si plus Deum & proximum, minus verò te amares, nunquam malè de proximo tuo loquereris. Omnes intelligant esse te hominem rectum & iustum.

3. Labora ut indies Justior & Sanctior fias. Immemor bonorum operum, & peccatorum tuorum memor agere pœnitentiam, ut tua possis luere peccata. Vide quam parùm Christum & Sanctos imiteris. Compara vitam tuam cum tot piorum hominum, quorum virtus tibi perspecta est & erubescas, quòd adhuc tam grandis tibi restet via ad Sanctitatem. Progredere, non est hic quieti locus. *In via vita non progredi regredi est, cum nihil in eodem statu remaneat.* Bern.

## S. SERAPIA V. M.

3. Septembris.

*Opus suum probet unusquisque & sic in semetipso tantam gloriam habebit, & non in altero.* Paul, ad Galat. 6.

Ille



**I**lle neget Amazonas militares fæminas esse. **I**se, aut dicat effeminatas esse milites, qui Serapiæ non legit triumphos. Qualibuscunque machinis crudelitatis hanc Virginem tyrannus oppugnaret, non potuit evincere, ut vel fidei propugnaculum, aut arcem Virginitatis dederet. Immisit in vases lenones, leonibus efferatioribus, duos dissolutæ vitæ adolescentibus, qui reluctanter cogere, & Virginitatis thesaurum diriperent, sed facile erat propugnatoribus quondam Angelis, qui Heliodorum thesauros templi diripientem flagellârunt, horum quoque Juvenum procaciam castigare. Corruerunt exanimis ante pedes SERAPIÆ ambo impudici cupidines. Quæ ideò à maleficis venefica judicata. Mox tamen beneficam se ostendit, quando utrumque ad vitam revocavit. Ferro nihilominus adjudicavit tyrannus, ceu Saga esset, quæ non in Sago sed in purpura verecundiæ vicebat. Parcere debuisset iudex iniquus ferri supplicio, nisi ipse ferro obstinatiores fuisset. Igitur variis cruciatibus lacerata est, pro eo quod integritatem violari non passa fuerit, & tandem obruncata lac fudit & sanguinem, ut ostenderet, quâ viâ properaret ad spnsu animæ suæ CANDIDVM & RVBICVNDVM.

pur.



Purpura & candor sunt patriueles colores:  
 Virginitas & verecundia consanguineæ virtu-  
 tes sunt.

MEDITATIO.

*De Puritate conscientia.*

1. **C**onscientia nostra speculum est. In illo facile  
 animæ tuæ vitia reprehendes. Diligenter ob-  
 servas corporis tui naevos, ut eos si potes quampri-  
 mum emendes; quare animæ tuæ vitia quæ toti displi-  
 cent cælesti curiæ tam parum curas? ora Deum ut  
 gratiam impertiat ea dignoscendi: revertere ad Deum  
 tuum dissipabit tibi omnes tenebras, quibus conscien-  
 tiam tuam obscurasti. *Quantascunq; tenebras tuo facto  
 superstruxeris Deus lumen est.* Tertull.

2. Ne similis sit tua conscientia quibusdam speculis  
 quæ objecta majora vel minora falsò referunt, sed ea  
 referat ut reverà sunt. Ne sit adedò laxa, ut graviora cri-  
 mina quasi leviores culpas ducat; nec sit nimis stricta  
 & ut ajunt, scrupulosa; duo hæc devita? modum te-  
 nebis si prudenti moderatori, cui conscientia tuæ pe-  
 netralia aperias, obtemperaveris. Vide an sit laxior  
 tua conscientia.

3. Quas speculum indicat maculas, eas eluis; elue  
 pariter vitia, quorum te conscientia remordet: neque  
 exemplo deformium mulierum abjicias speculum,  
 quod tuam tibi prodat deformitatem. Quotidiè intue-  
 re vitam tuam in hoc speculo quantumvis fastidioso,  
 & cave maculis deletis iterum fædêris. *Novum siquidem  
 monstri genus est, eadem penè omnes jugiter facere, qua fe-  
 cisse se piangunt.* Salvia.

S. RO-